F. PONAE
XII
CAESARES.

Quibus
Amicorum accesſêre
Epigrammata.





VERONÆ.

Typis Meruli. Super. Permiſſu.
Impenſis Franc. Rubei.
M DC XLI.

Radiantibus Aurō Tholis

ANDREÆ CORNELII

Senatoris Amplissimi

Felicissima EIVS Sub Prætura

Veronensi

Dicatos Editos

Olim

CÆSARES

Auctiores Auctor

Denuo Attollit

ÆTERNI PIGNVS

OBSEQVII.

IN XII CÆSARES FRANCISCI PONÆ

Divi MARCI Equitis

Philoſophi Medici Prȩſtantiſſimi.

EPIGRAMMA.

NON hic Theſaurus, non eſt reperire quod Hermus,
Atque Tagi auriferis egerit unda vadis.

Ni quis fortè velit cœnum appellare metallum
Hujus & illius dite quod amne fluat;

Eſſe Deos ni fortè velit Stygis horrida monſtra;
Vel ſi quid monſtris fœdius eſſe poteſt.

Raptibus Harpyas, ſtultâ Ambitione gigantes;
Luxuriâ Tityos, ſæuitiâ Eumenidas.

Hos laudent alij, ſcriptis encomia pangant,
Illorum Proſâ, ac Carmine geſta canant.

PONA, ΠΟΝΟΣ *tuus eſt ſcelerũ exarmare phalanges,*
Te dignus, quòd & hic Hercule dignus erat.

F. F. M. F. S.

In


In Ejusdem

CÆSARES.

Repetite præli CÆSARES angustias;
Repetite nolentes, & invisos premat
Tortura Satyræ, torqueat, retorqueat.
Vobis rependat Fama promeritum decus;
Pretiumq; Vitio debitum, Tempus ferat.
Vestro peremptis, CÆSARES, arbitrio
Litate cæsi proprio nunc sanguine,
Et fœda tenebris obruantur nomina.
Hucusque Laudum sator, & ingenj PONA
Mitis, stylum modò exacuit, & Marmora
Transfodit, Aera eradit, & mendacii,
Falsique codicum architectos arguit,
Qui Vos benignos, æquitatis asseclas,

Prudentiâque prædicandos prædicant,
Nihili homines, & impios, & stipites.
Cur ora contraxistis, & minis truces
Rotatis enses? nescit en sceptri metum
Armata stylo Veritatis dextera.

Daniel Stellenius Badensis.




Iulius

Aet. Ann.
XLV

FRANCISCVS PONA

IVLIVS CÆSAR.



EXilibus animis Nomen Ingens: Improborum decus, Proborum dedecus; Aeri, Marmori illuſtre probrum. Aſſentatio illudens Deum fecit, Ambitione inſanum; Diis jactantem ſe genitum. Sylla, Marios ineſſe Cæſari plures, ominoſus præſagiit Vates. Is vaticinium implevit. Vir Fœminis, Viris Fœmina; vtroque Cæſar. Vxores dimiſit plures? mutuum thalami metuebat opprobrium. Bythiniæ Regina convitio dictus, curru in Capitolium invectus; Fur quod adiit Conſul, priùs impiè raptor, quàm Imperator. Ad Orbis Falces reſpiciens, deſpexit Vrbem: Virtute ſuppar, imparem Fortunâ Pompejum vicit; cui moriens honores reddidit, invitus ad ſtatuam procidens

cidens. Sauciam Libertatem curantis in ſpeciem dum tractat, enecat, non ſanat; Linimenta neſciens, venenum affudit vulneri. Sensêre Ipſum Romani Regem ultra Romulos, Tarquinios: Diademata dedit laurus: calva Cæſari cæſaries, intonſo Apollini Coronam inviderat. Ærario pecunias, Vrbi dignitates, Dignitatibus ſuffragia, Suffragiis fidem extorſit. Matris ſtuprator ſomnians, pollutor vigil; Patria Mater erat. De Oedipo luſit, de Hercule, furore hunc ſecutus, inceſtu illum. Divina iſta ſcilicet! Suæ ne obeſſet Ambitioni ſilentium, ſeipſum ſtylo proſtituit, cæſis impiè Civibus, Regibus barbarè devictis exſugens ſanguinem, quo ſua facinora ſcriptitaret: Sæpe de Hoſtibus, de ſe nunquam Triumphator. Maximus minor Magno, cujus ad tumulum flevit, invidus gloriæ.

Cadu-


Caducum Cæſari Imperium, Caducus portendit morbus: ſalutem humano cruore quærens, Vrbem, gladiatoriam arenam fecit, recentem ut hauriret paſſim. Imprudens: validum iampridem amuletum geſtabat; Vngulam, ſe Alce. Infrà ſe habuit cuncta: Aquilæ iratus ſibi non aſſurgenti, Senatum excepit Sedens. Sedens ſic Pacis in aſylo confoditur: Strenuum Bruto exprobrans parricidium, Libertatis qui vindex nefarium ſuſtulit, almam Qui Civium Matrem occiderat. Imperium tandem per cędem exuit, Succeſſoribus per cædem pariter exuendum. Varia Patrię ſpectacula dederat, gratius poſtremô nullum; ſui quoniam, non Ferarum. Quale Mortis genus optavit, ſubiit; inexpectatum, non lentum: Quale optavit, meruit. Impium Buſtum ſepulchro Tyberis vix ſubtraxit Lepidus, illepidus

dus Populo, cæſo Cæſari vel ultra necem irato.

*

* *

☞ *Ad Generum Cereris ſine cæde, & ſanguine pauci*
Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte Tyranni.



CÆ-

CÆSAR

Mari innatat, cum Commentariis.

AMbitione tumens ſua Commentaria portat
Per fluctus, quamvis ſæviat unda maris.
Ipſe natans ſibi ſecurum promittere portum
Audet. Vter mergi neſcit; inanis erat.

CÆSARE

Peremptô Stella apparet.

QVæ tenui ſub luce micat vix flamma per auras,
Hanc ne cæſi animam Cæſaris eſſe puta.
Fax eſt, ab ſtygiis ſed fax emiſſa caminis,
Quâ meritum exagitat dira Megera Caput.

CÆSAR

Pluribus vulneribus confoditur.

INgentes fovisse animos in pectore Cæsar
Dicitur; & vero consona fama fuit.

Nam quò spiritibus par tantis exitus esset,
Præpandit latas plaga iterata vias.



CÆSAR

Sedendo excipit Senatum, Sedens confoditur.

Vertice ubi nubes magnus conſcendit Olympus,
Et celebrat Ludos Græcia feſta ſuos,
Expreſſit Phidias ingenti mole ſedentem,
Quod ſtantem haud caperent maxima templa Iovem.
Altior Imperio ſedet, admittendo Senatum
Cæſar, Olympiacum ſe putat eſſe Iovem
Quinimò ut ſemper ſedeat, nec ſurgere poſſit,
Confoſſus gladiis (iurè) ſedendo perit.

CÆSAR

Malè Bruto exprobrat Parricidium.

QVid planctu lacerata sinus, quid sordida tabo
Cæsaris ad bustum flebilis umbra cubat?

Vulnera quid Cælo ostentat, quæ plurima Bruti
Iurata in Patrem dextra cruenta tulit?

Fata subit Bruti ultoris benè Filius ultor;
Iustiùs haud poterat fata subire Pater.

Cæsar adoptatus Patriā Pater opprimit Vrbem;
Cædit adoptivus Filius ense Patrem.

OCTAVIVS AVGVSTVS.

EXtulit Quem Historiæ aura, non virtus: applaudentibus non Gestis, sed Famæ Scriptoribus. Homerus Achillem fecit, Augustum Maro. Accia Mater visa Dracone iniri: Draconem in hominis speciem enixa est. Proavo suburbano satus, Vrbis fit Caput: Operario Avo, ope ærarij Caput fit Orbis: Vrsæ referentibus Astra notis pectus ei pictum, hinc astu ferox. Minaci militum ense, non merito, Consul primò. Adulatio Romulum, metus vocavit Deum. Venit per sentes ad Imperium, flores fastigium dedit, spinas dederat Parenti. Pompejus, Antonius, Lucius Pudicitiæ laudarunt, Hircio, quam Hispano subegerat. Dando nimius, Vrbis obsequium, Annonâ, Ocio emit. Naves, Legiones perdidit;

Iugis ei Aleæ Lusus, aliquandò ut vinceret. Vafer in omnibus Protheus. Per suorum clades Victor illaudatus, pacatum tandem Orbem offendit, arridente Fortunâ, Fœminâ, mutabili, coecâ. Militem, Civem aureis mancipavit compedibus. Violentâ lenitate, quos oderat sustulit, grassatus clam Veneno, Ferro, Amicitiæ, Pacis, Manu. Supercilium adscititiâ comitate remisit; Sœvitia diù latere non potuit; jurè Draconis creditus Proles. Perusiæ captis deprecantibus vitam, moriendum respondit: dignum Alastore responsum, non Deo. Dedititios ad D.Iulii Aram mactavit, Carnifex, non Mysta. Ad eandem confugientes abripuit, cæcidit. Irâ non vacuâ; vacuum fassus Parentis Numen. Reipublicæ manum in Rempublicam armavit, vivente quæ Ipso didicit mori. Impurissima longe Scorta, Filiam, & Neptem,

ptem, luxu, vino interdixit: ſerò, ſordida iam pridem Venus irrepſerat. Carcinomata vocitavit; erant: ſuperna Generis viſcera, ad hæc demiſerant dedecus. Tiberium adoptione extulit, ut fœdaret Imperium. Comparatione deterrimâ gloriam quærens, non niſi peſſimis meliorem ſe prodidit. Patriam ſibi commori optavit; conatus eſt alieni ſermonis facere: Græcè Romanos juſſit loqui, Romæ ſic ut Romam eriperet, cui eloquio prꝑſtantius nihil. Conjurati plures in eum exorti? Inſonti infeſtus nullus. Vnicâ cœnâ Vrbis annonam voravit inter Deos diſcumbens: jacta hinc in Deos calumnia. Alienas corrupit uxores; adulteria excuſavit, ſinubus temeratis mulierũ, ceu hoſtium conſilia rimaturus. Inter Numina recenſere Auguſtum ſuaſa Roma, quę capeſcentem iam Stygis iter pexiſſe comam, ſpe-

culum consuluisse cognovit. Sic moritur Nolæ Senex nequissimus, Muliebris Libidinis, & Ambitus Victima. Memoriæ Augustali, Augustales ludos decrevit Populus: meritò; Humanæ Gloriæ terminus, præter Ludum, Nihil.

☞ ——— *Sic sævior armis*
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur Orbem.



AV-

AVGVSTO PVERO
Aquila panem abripuit.

AVgusto propior Cælo demissa per auras,
Abripuit Cererem fida ministra Iovis.
Iuppiter indigno mandat cui pabula vitæ
Auferri, dignum quis putet Imperio?

AVGVSTVS
Populum Annonâ pellexerat.

VEnalis Populus, venali vendidit escâ
Imperium: Ventris sic jubet Ingluvies:
Ambo Raptores, Populus cum Cæsare; quidquid
(Vt regnet violens) Hic rapit, Ille vorat.

AVGVSTVS

Emit Donis Militem.

AVro emitur vilis miles, quē prisca jubebat
Disciplina legi, quem prohibebat emi.
Iam Iugurta tenes totâ quod mente petisti,
Emptorem tandem repperit Imperium.
Disciplina Vale: corruptâ hac, Roma valeto;
Auro emitur miles, Venditur Imperium.

AVGVSTO CÆSARE

Tres soles illuxerunt.

TRes pariter visi Cœli de vertice Soles,
Vix radios terris explicuisse suos.
Merserat obscurâ terras caligine Cæsar,
Vnus nec poterat vincere Sol tenebras.

AVGVSTVS
Ab Vxore Veneno occiditur.

Inficit Augusto victu Mors livida vultum,
Irrepitq; genis anguis, & ore scatet.
Nempe Viro mortem furialis miscuit Vxor,
Et Marte invictum fœmina fraude necat.
Niliacos animo Cæsar perpende triumphos,
Fœmineiq; angues triste monile sinus
Fœmina nunc hortis quæsita venena rependit,
Livia propinat, quod Cleopatra bibit.



CLAVDIVS TIBERIVS NERO.

NOminum ignominia, Historici Anthrax Corporis. Imperij Paludamentum, Civili quod Is purpuraverat sanguine, suo meruit saturare cruore, fœdum at illud Muricem respuit. Matri Hostis, defunctam quoquè prohibuit Honoribus: Primitiæ laudum Pietati erumpant. Iustitium injustus negavit Druso. Germanici obtrectator, fortè Interemptor: oderat moribus dissimilem. Ter Parricida, Filiis. Famam, Vitam, Funus ademit. *Caldius Biberius Mero* Liberum Patrem adamavit non liberos. Flavio Syriam, Vrbis Præfecturam Pisoni dedit, strenuè quòd sibi compotaverant, Vtres alioqui Æolij. Epulo semper plenus, Nepotes sustulit Fame. Famem Nepoti vetuit,

tuit, ut viveret. In Vitam invitam coëgit, Morte quoniam ipsi deterior Vita. Oculum priùs Huic excusserat verbere, Verbero imo Carnifex. Rapinas excepit cędibus; sceleri superfœtans scelus. Parthorum Regi aurũ cum vita eripuit; Columba confugerat ad Accipitrem. Seccessit ab Vrbe, sibi natus, non Populis: privatis ociis Publicam Rem posthabuit. Inaccessam adivit Insulam, sibi communiret ut Vitia. Libidini colendę secretum favet: hanc topiario opere auxit, falcem radicibus Virtutum immittens. Scortator Mœchę jungitur, Vxorem coactus dimittere; dignus amasiâ non conjuge. A crepundiis verecundiam ejuravit, omni impudentior Majumâ. Cœnanti, nudis corporibus ministrare coactæ Virgines; sęvius Morte Ingenuis supplicium: Pudoris quam Ipse exuit purpura, exutas vestibus velavit. Ædes,
sedes

ſedes ſe dignas habuit, novo ſtipatas Heroum genere, quibus Ipſe Claviger, geſtans pro Leone Hircum. Neque infantiam prçteriit, polluit indignante Naturâ, horrentibus Cupidinibus: Sacros quoque inceſtavit lucos; Dianæ patentes, pathicæ proſtituit Veneri. Vix Templo pepercit; Miniſtranti Ephebo tantùm non injecit procacem manum. Similis Æſchilo Calvitie, diſſimilia invênit Fata: reverita eſt Aquila Imperium, non Imperantem. Diſſitus Tyberi Tiberius, Caper Capreis, vegetiore adhuc Capulari nequitiâ, ſtragulis libidinum teſtibus oppreſſus eſt; Viâ ſpiritibus obſtructâ non Fatis.

☞ *Aſpiciunt oculis Superi mortalia juſtis.*

TI-

TIBERIVS
Nepti excuſſit oculum.

AGrippina tibi quod verbere lumen ademptum ,
Non hoc ſævitiæ , ſed pietatis opus .

Dimidium dempſiſſe mali tibi Patruus optat :
Mox Natorum uno lumine fata vides .

TIBERIVS
Nepotes ſuſtulit Fame.

CVm Tibi ſit ferrũ, viruſq; nocẽtius armis,
Crudeli in Pueros cur furit ira fame ?

Vt vivant moriendo diu, ut vivendo perirent,
Præpropera odiſti funera , lenta placent .

TIBERIVS
Caper Capreis.

ORbis quòd capiti Capreas, fœdosq; recessus
Prætuleris, sunt qui desipuisse ferunt.
Ast sapuisse reor, causam vis? accipe: Capro
Non quivit Capreis aptior esse locus,
Adde, quòd & Capreis, quā Romæ tutior esses;
Cum Lupa nō posset Martia ferre Caprum.

TIBERIVS
Imperium simulatè detrectat.

PRoscriptus Româ, Romæ modò scribitur hæres,
Vrbis & ad fasces exul ab Vrbe venit.
Imperium supplex advolvit Roma, sed ille
Oblatum precibus ferre recusat onus.
Si precibus Roma absistas, tua Regna Tyrannus
Invadet: precibus quid negat? esse pius.

CAIVS CALIGVLA CÆSAR.

FEra hominum, ferarum Homo. Supercilio dum naſcitur Naturam terret, ſtupentem ſe Myſantropon genuiſſe. Sidus, Pullum, Pupum vocavit Miles; conſultiùs Compe, Hydram, Cacum. Tiberio Agnatùm, non Germanico Natum ſe memimit: Gentilitiâ de ſtirpe deleterias tantum baccas excerpſit, ad nefarias neces. Tubas audivit ex utero, ſemini parem indolem nactus. Miles ab Infantiâ, Clypeo priùs exceptus, quàm ulnis. Sedavit Puer tumultus, excitavit Vir. Caligulam fecit Caliga, infimus militis orgulam fecit Caliga, infimus militis ornatus. Gregarii ſpeciem induit, vt infra gregarios exueret Vitam; Ad Imperium vectum, calcantem Virtutes, ſtiparunt vitia, deſerendum nunquam. Ærario vim intulit, Sororibus ſtuprum:

pol-

pollutas exoletis proſtituit : tales ſacramentis adjecit. Cervicibus Deorum reſectis, ſuffecit ſuam, digniùs infigendam furcæ, trahendam vncis. Medium ſe fratribus Diis adorandum præbuit, Latialis acclamatus Iupiter. Sibi exrrui Templum, Hoſtias mactari juſſit, Hoſtia Ipſe opima mactanda Iovi, cui in Capitolio non ſemel contumelioſus. Aureum Civibus appoſuit epulum, divitiis ad inopiam vſus, totus Mydæ ſimilis: dapſili ſcenâ placuit eſurientes torquere, Charitatem Caritate pervertens. Tiberio expiranti detraxit Annulum; brevi vſurus: ad paria ſcelera, ſorte pari. Pavit (ridendus Iupiter) fulmina, cogente conſcientiâ in metum. Comœdias exhibuit Populo; quem faceret Tragediæ argumentum. Faſcias viritim diſtribuit, eſſet vt Civibus quo alligarent ab eo vulnera. Hæſitante Conjugii fi-

de

de, Iuliam Drusillam ex feritate filiam agnovit; Non generant Aquilæ Columbam: cædes Ei ludo erant. Inficiendis aquis Venena paraverat; volare mortem, non currere ad Vrbis internecionem cupiit. Truci, comites Furię semper, saturæ nocendi nunquam. VERE' PIVS OPTIMVS MAXIMVS! Chęręa, promeritum gladio intulit χαῖρε Sabinus trajecit pectus: Sabinis nusquam cum Romanis convênit. Ortus inter arma, armis occidit. Vno metere ictu Romana Capita gestiens, Romę Caput, capite minuitur, trigenarius triceno vulnere confossus.

☞ *Culpam Pœna premit comes.*

CALIGVLA

Pavet fulmina.

IVppiter horrificâ molitur fulmina dextrâ,
Demens ad strepitus exanimate cadis.
Fulmina nō metuit Numen, nō concutit horror,
Numinis impavidi nil nisi nomen habes.

CALIGVLA

Sibi extrui templum, hostias mactari jubet.

SImia Divorum, dios sibi poscit honores,
Placari pecudum sanguine, thure coli.
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci,
Quà Nili fælix intepet unda vadis.
Bellua quænā horū major? non ambigo: honores
Hic sibi non vetuit, jussit at Ille sibi.

CALIGVLA

Triginta vulneribus confossus.

TRiginta tibi cur inflixit vulnera Miles,
Et plaga ad mortem non fuit una satis?
Noverat esse suem fœta: ast dubitabat an esses
Triginta capitum Virgiliana sues.

CALIGVLA

A Chæræâ gladio occiditur.

SCommate quem toties risisti, Cæsar, inultum
Non rides: fatuos vindicat ecce jocos.
Sic χαῖρε, *aut salve, patriæ regnator Eoæ*
Non tibi jejuno Psytacus ore sonat.
Sed Chæræa tuo saturatâ sanguine dextrâ
Te jubet æternos, mime, valere dies.

CLAVDIVS CÆSAR.

ADolevit ignotus, cœco tramite perductus ad Togam. Latebrę dignum inerti juventæ theatrum, publicæ reddidere luci, Publicę vt pateret Infamiæ. Campano in agro Praxim fecit Aleæ, Theoriam conſcripſit, facilè Artis Princeps. Cauſarius corpore, hebes animo fuit. Caio cæſo, latentem metu detexit Miles, proſtantem vix pede: caput abdiderat pauor. Furens Ille ad Imperium traxit, Hominem ratus: Hominem Natura inchoaverat, non abſoluerat: perficiendo, mens defuit. In flumen jactus, non mergitur; Cucurbita inanis. Ad Imperium ægrè paſſus eſt duci; metuit ſe rapi ad pœnas, ſupplicia meritus. Adorante Milite, Imperantis pręnomen reſpuit: hoc unô ſapiens; pudebat uti, Lauro tamen dignus ſalſamentariâ.

tariâ. Vino diffluus semper, non curis, vigilavit in Thoro, sterceret ut in Throno, Iudex insulsus, inconsultus, injustus. Adulteria parciùs, cautiùs patranda monuit ex tribunali, patrata non puniit: Sibi sic erudiebat Mœchos. Matrimonia tulit, qualia meruit. Prætervehenti Forum, Aquila insedit humero; aut Signis decepta est, aut Leporem credidit. Foro item medio secundarij panis fragminibus lapidatus, exprobrante annonam cariorem Populo. Non Arcubus Romam, ditavit Fontibus: Bibenti merum Aqua competit; Imbelli, supervacua Triumphi signa; Gesta Majorum adiecit Annalibus, consultiùs qui propria interdixisset Historiâ. Ternas concepit litteras, gestavit Elephas, Musca peperit: Parenti hæ commortuæ, aversante Orbe commentum frigidum. Imperanti, nihil cum Imperio: Servicola,

Vxorius, infra Principem, cuncta. Exhorrendum quod ipsi fuerat, Conscientię tribunal jussit adire Ciues; Malis Româ ejectis, incassum, se incolâ. Amasiæ incubans, Vxorem publici juris fecit: hanc vulgatissimi ventris scortum vocavit Dominam; frondens tandem fronti dedecus vel cœcutiens palpans, bardus, tardus, vix demetit. Sublato thalami probro? mœruit, meruit. Assueto leue Infamiæ pondus. Exlex legem fregit, Neptem aptavit lateri. Tandem ne invideret Divum sideribus, Apotheosim Hæc Ipsi maturavit Boletis.

☞ *Loco Ignominiæ est apud Indignum Dignitas.*

CLAV-

CLAVDIVS

Scripsit Annales.

NOn malè vulgasti Majorū gesta tuorum,
Quod tibi, nil, de Te quod legeretur, erat:
Obscurus Vitiis alienæ lumina Famæ
Captas; desperans posse nitere tuæ.

CLAVDIVS

Tres adjecit Literas.

GRammate terno auges Linguæ rudimenta Latinæ.
Furax rapaces publico injicis manus.
Prostituis Famam cum Conjuge, Conjugis Hircus:
Quis literarum Te trium Virum neget?

CLAVDIVS
Fungis perimitur.

PLura maritalis thalami consortia passus,
Vir bonus, haud sævâ morte necandus erat.
Accedant igitur Divûm bellaria mensis
Proxima, & instructæ Conjugis arte dapes.
Scilicet ut pereat, quod gignit terra venenum,
Illa hoc nectareum proferat esse cibum.

CLAVDIVS
Consecratur.

DEsine Niliacis nascentia Numina in Hortis,
Ægyptiq; sacros carpere Roma Deos.
Desine, nàm majora tibi deliria, Fungos
Quos perimis fungis, hos facis esse Deos.

NE-

NERO CLAVDIVS CÆSAR.

ACcede Africa, cedò Monſtra, cede Monſtro: Sexus cui promiſcuus, Furor jugis, Venenum præſens. Sporo ſponſus, Doryphoro ſponſa, Purpuram induit, Pudorem cum exuit, Meretriciâ eviratus Lacernâ, Lupanaribus infamis. Probroſum ne quid omitteret, Aurigam, Hiſtrionem ſe Populo. Pulſavit blandiùs Citharam, Muſica feriorem reddidit. Merſus Libidinibus ſe in Parthos armavit? fugiendo pugnant. Moralia tàm indigno pectore ingerentem, morte Senecam multavit; meritò, Furorem quòd armaverat Eloquētiâ. Chriſticolis atrox: quid mirum? Lacerat Agnos Lupus: aſpexit Lumen, non tulit, Noctua meridie caligans. Tygillini per Ipſum tædę cœcutienti Orbi præfulsêre; itineris in-

dices ad Viam, Veritatem, Vitam. Servari ipſe renuit, devotum vtrique Orco Caput. Vrbi Dedecus infixit, Eâ vocatâ Neropoli; brevi hæc fœdum excuſſit Nomen, Oneri quod erat, non Honori. Domum unam fecit, faciliùs ut perderet. Se perennando, Majorum diruit Monumenta: arietantem alienas glorias, perculit Ignominia. Deterrimus ut fieret Mortalium, Incendiarii poſtrema deerat nota: jactavit inuſtam, at non inultam: incendit Patriam, Almâ ut cum Matre Orbis deficeret. Coactas adſpexit vorantes Romam cum riſu flammas: riſus hinc ei Sardonicus. Trojam recinens cadentem, ſibi excidium proluſit. Religio NERONI, Nerone digna: nulla prorſus. Deorum ſacra diripuit, Ædes inceſtavit, Veſtales polluit. Sæpiùs Vxoricida, Poppæam quoque poppizantem peremit calce, equus inſultans,
non

non Eques. Libertam deperiit Acten, optavit Conjugem, Patricio indignus Connubio. Locustâ monstrante (quid si Viperâ?) Fratrem sustulit Veneno. Patricidium Integrum, prævertit Parentis Funus. Vni fortè Matri pacatus? Bis violavit, Vtero recusso, Ferro incusso. Iudex puniendo deerat, supplicium non defuit. Ipsi sibi Lictor, & Carnifex. Turgenti Civium sanguine, vena erat secanda; largiùs reddendo impar unica; peritam sibi conscivit dexteram, secans jugulum. Mortalium scelera VNVS compendio absolvit; VNO hoc laudabilis, sustulisse NERONEM. Obiit,

☞ *Non missura cutem, nisi plena cruoris Hirudo.*

NE-

NERO
Histrio.

ARdens fulgebat Tyrio tibi murice Læna,
Caput coronâ regiâ, sceptro manus:
Mox ubi lusisti satis, atq; Tragœdia fini
Vicina, summam postulat catastrophen,
Persona eripitur, moriens incumbis in ensem:
Verum Histrionem te fuisse denegas?

NERO
Conflagrante Vrbe fidibus canit.

ILliaca exequeris ferali incendia cantu,
Vrbs latè injecto dum flagrat igne Nero?
Et cytharâ inferias busto das Impius Vrbis?
Dumque madent aliis fletibus ora, canis?
Reddit jurè vices: festis tibi læta parentans
Vocibus, Vrbs etiam, te moriente, canit.

NE-

NERO

Occidit Matrem.

Viperea qui cæde suæ genitricis in alvum
Sævit, hic furiis debet Orestis agi.
Materni occursent manes, agitentq; furentem:
Culeus, atq; ultrix obruat unda scelus.
Sed, Nero, te absolvo: meritas à ventre reposcis
Pænas, qui tantùm noxia monstra tulit.

NERO

Poppęam Vxorem calce, se ipsum dexterâ interficit.

Lethifero dirimit Cæsar connubia calce,
Quod pede dissolvit, strinxerat Ipse manu.
At malè divisum junget, Mors justa, Maritæ:
Quod pede divisit, sarciet Ipse manu.

SERGIVS GALBA.

GRacilis Hedera ruinis AVGVSTORVM irrepſit. Aruit Veiento Laurus, Cæſarum ornandis temporibus aliunde ſuppetiit. Excuſſum Octavii manu, collegit ſceptrum. Fatorum neceſſitas impulit in ſolium. Fortunæ arripuit comam, tenuitque arctiùs; ſomno merſam invênit: fraudatam tamen donariis, iratam ſenſit: Fœmina & ipſa erat. Irridentem Tiberium irriſit eventus, *Mula peperit, GALBA CÆSAR*. Vidit Roma ſæpiùs deterrimos imperare. Pejor Galba Peſſimis, duxit qui gloriæ loco Tauri fluxiſſe de Pellice; cujus libidinis ex aſſe hæres. Hoc vivente, viſus ſuperſtes Nero, Quo ſublato Vitia ſtetêre, mutatâ dumtaxat Munificentiâ: nil aliud offendit inculpatum. Vilioribus Dignitates

tates proiiciens, indignas fecit. Legiones contempſit, ſomnia metuit. Loricâ munitus lineâ cum Morte luſit: reluctari colluctanti non potuit: a ſuis deſertus opprimitur, cæditur, obtruncatur. Proletaria Capita in Ejus Caput conſumpsêre ludibria. Tenebrio ſic per tenebras ad Othonem protrahitur: brevì ſecuturo, præcurſorem objecit Miles, parem u portenderet exitum.

☞——— *injuſti tolluntur in altum,*
Ut lapſu majore ruant.

GALBA

Monile Fortunæ deſtinatum, Veneri dicat.

BAccato decorare parat ſimulacra monili
Fortunæ, Imperium quod ſibi ſola dedit.
Numine ſed luſo, Paphiæ ſua munera Divæ
Obtulit: intentat cùm Dea ſpreta minas.
Fœdè litas, (inquit) Veneri, tua munera perdis:
Martem, non putrem deperit illa ſenem.

GALBA

Aruit Vejento Laurus.

VEjẽto exaret Laurus, quæ plurima ſacras
Principis ornabat fronde virente comas.
Nil eſt cum Lauro, conſperſo tempora canis,
Cupreſſus, cæſo mox tibi Laurus erit.

GALBA


Iactat se Pasiphaë satum.

PAsiphaës stirpe infandæ mentitur avitâ
Se regale suum ducere Galba genus.
Iactaret verum, genuisset ni illa juvencum
Semiferum, & totus bellua, Galba foret.

GALBA

Mulâ pariente Cæsar.

LAmpade nō Solis geminâ, non sideris ortu,
Cynthia non vultu prodigiosa tuo;
Non igni lambente caput rapit omina Regni:
Quid dignum tanto Principe? Mula parit.



GALBA

Occiditur ad Lacum Curtium.

MVltiplici corpus confoſſum vulnere dicunt
Non procul à Curtii procubuiſſe lacu.

Pro Patriâ inſiluit generoſus Curtius antrum,
Hic Hoſtis Patriæ concidit ante Lacum.



OTHO SYLVIUS.

LYdio Agro genitus, immodicus formæ cultor, Romano cultu floruit Imperio: Pater infami Delatoris laude statuam meruit: fortè & Tiberii Filius. Imago Parentis Otho, inter sordes abditus, iniquo exinde se evehit astu. Anum edentulam (Cumæam Aulæ) simulans deperire, cœpit, decepit. Mendaci Cupidinum lenocinio amantem hamavit; Principem adituro Prodroma hæc fuit: conciliante illicò animos Genio; humaniùs exceptus est; Ætate quoque & moribus Neroni persimilis: Mutuæ statim attriverunt libidines, Libidini mancipatos. Ambiit Otho Imperantem, ut Imperium invaderet: Brevi se Domino prætulit. Credidit ille scortum, Is ardentiùs amavit, audentiùs corrupit, contumaciùs occu-

 pavit

pavit. Alebant ſpem in ſceptrum ſidera, Aſtronomis effutientibus ſortem. Aſtu aſtra juvit, improbo conatu ſemper. Fallentem ſe Galbam obruit, ſe ne Aes alienum obrueret, ſolo ſatis tutum Imperio. Germanicâ defectione luxata Sedes contremuit, propè caſura. Neronem qui oderat, Nero vocari paſſus eſt, aſſentante Honoris injuriâ Milite. Perditam libidinem Marti imparem expertus, decidit animo. Commiſſo vix Prælio aufugit, obſtruentibus iter ſaxis, Tyberi quoque ſubdito. Vitæ momentum, momento amiſſionis cognovit, ignotum non ſecus pudorem, moriens. Non ſe tutus, diffidit Copiis: Pavidum non munit murus. Obeunti ſera obitus cogitatio. Pugiones aptavit binos ſe perimendo, acie quò potuit præſtantiorem delegit: Fideli ictu Cor trajecit, Anatomes peritiſſimus. Intra centeſi-

mum

mum diem regnavit, ratus se ultrà secula regnaturum.

☞ *Fortuna vitrea est: tunc, cum splendet, frangitur.*



OTHO

Se depilat, fucat.

CVlta paludatus fucat sibi Sylvius ora,
Adscitâ calvam cæsarieque tegit,
Quàque pili rigeant molli de corpore vellit,
Ne turpet teneras hispida barba genas.
Tam citò festinet video cur dedecus Orbis
Excutere Imperium: creditus est Mulier.

OTHO

Vultum ad levitatem exæquat.

FOrcipe sylvosas lentè percurrere malas,
Et variè sparsos te resecare pilos,
Lõga mora est Sylvi; sylvã si protinus omnem
Ictu vis uno cædere, cæde caput.

OTHO

Duos pugiones in suam necem parat.

IN sua dum ferro scelerata viscera dextram
Armat, rupturus Sylvius ense latus,
Spicula bina parat: nam tantæ Bellua molis
Pugio, quo caderet, non satis unus erat.

OTHO

Præstantiorem acie pugionem eligit.

QVi sẽper vivus Populis, & inutilis Vrbi,
Vult Patriæ moriens utilis esse suæ.
Pertentat ferrum quod acutius, ut cito se se
Sublato, Patriam liberet interitu.

OTHO

Se perimendo binos aptat pugiones.

INsidiis Otho fatalibus undique pressus
Victima Regali vult cecidisse manu.
Protinus armatur gemino mucrone Tyrannus,
Diraquè in ancipitem duplicat arma necem.
Si prior incerto gladius peccaverit ictu,
Vulneris errorem corriget alter, ait.
An magis haud uno dū se transverberat ense,
Non semel est fassus se meruisse mori?



AVLVS VITELLIVS.

LIxarum, Calonum, Mulionum facilè Princeps. Omnia TIBERIO: compendiò ſatis. Cum Senatu Culinam, Oenopolium cum Capitolio mutavit. Bove ſegnior, VITELLIVS Vitulus. Venter Huic Deus, non Iupiter, cujus delubrum incendit. Glutivit Ærarium, mox ſe ipſum, Menſarum Scylla. Vni impar Virtute, par Ingluvie millibus. Baccho, Venere infamis: carior vtri? dubium. Non intentatas Fœditates, non intactas præteriit Dapes. Virtutem excipe, cuncta ei benè olentia. Pontificis quoque nitorem inquinavit, attingens. Plebem familiarem, Lenones à Cubiculo, Hiſtriones à Conſilijs, Aurigas à Secretis habuit: deteriora latent. Hæc Opera, atque hæc ſunt Generoſi Princi-

pis Artes ! Magiſtro Epicuro illud didicit tantùm: EDE, BIBE, LVDE. Oculos cædibus, Gulam ſaturavit dapibus. Pocillator filius, Venena propinavit Matri: Caucaſo meruerat erumpere, Lernâ ali. Excutiente Ipſum Imperio, viſus eſt deſilire; ſerò: deturbavit ſolio Fatum. Aſtra ratus tranſcendere, cœno eſt volutatus, verubus, non lanceis transfixus. Laniatus ſic tandem Lanio, uncis ad Gemonias protractus, proſciſſo armis corpore, diſcerpto convitiis animo, per vulnera ultra necem patentia, refractarium ſpiritum, cruentis viſcerum anfractibus expulit.

☞ *Nulla Potentia quæſita ſcelere diuturna.*

VITELLIVS
Cæſaris prænomen recuſat.

CÆſaris ingenti vetuit ſe nomine dici
Cæſar; nec temerè nomina magna fugit.
Egregiis ut cunque heros virtutibus ille,
Arvinâ vitulus ſed piger iſte fuit.

VITELLIVS
Se e ſtirpe jactat eſſe Deorum.

TE ſobolem jactas, Cæſar, prolemque Deorum,
Eſto: ſed ſuperos te genuiſſe nego.
At genus abſolvis: præceps ad tecta Deorum
Cum per Gemonj tendis avita gradus.

VITELLIVS

Venena propinat Matri.

ASpice Vitelli vitam aversata, diemq́,
Pēdet in interitum jam moritura Parens.
Tu pius an blando fessam medicamine mulcens
Corda salutiferis potibus ægra foves?
Pocula lethali præbens medicata Veneno,
Hæc, ais, à Nato pharmaca Mater habe.
Illa refert, Virus Matri te reddere dignū est,
Vbera vipereo quæ tibi lacte dedi.

VITELLIVS

Cœno volutatus.

IN cœno vixit (cœnum quis deneget esse
Luxuriæ sordes, ingluviemq́ dapum?)
Inque volutatur cœno, rapiturque cadaver,
In cœno pariter vitaque, morsque fuit.

VE-

VESPASIANVS AVGVSTVS.



Mplissimo aperta patore exurgant Atria, Majorum Imaginibus exornanda. Gens AVGVSTO Huic Angusta, ad Centuriones, Argentarios, Milites, Publicanos, Fœneratores Atavos retulit. In vico Natus, quercu auspice Cæsar. Imperium, probum hunc censuit, tantùm non pessimum: Simulatâ probitate deceptum est. Invasit sceptrum Astu, non Impetu. Pronum in flagitia Genium represserant Gemoniæ, Majorum cruore fœdę. Servili planè animo contumelias tulit non irascens, passus vel luto palam sibi oppleri sinum. Vxore amissâ Libertam suffecit Thoro: ab ista? Pellicum greges. Proconsuli Otium pro Negotio. Vndecunque adfulgeret Aurum, Clytia. Lucra commendavit sordida,

dida, crisea sitis: Vectigalibus, Proscriptionibus, Præscriptionibus in mercimonium deductis. Emporium Imperium fecit: Reipublicæ quoque salutem licitatus est tanti; mangonico olim quæstu infamis. Histrionum, Lurconum, Nebulonum Antesignanus, Theatra cogitavit, Convivia, Ludos. Helluo capacissimus, diario jejunio menstruam correxit ingluviem, uni subtrahens mensæ opiparam plenitudinem. Ad opprobrium Dicax, Inverecundus, Scurra. Davus, non Divus. Ingessit qui cuncta Ventri, Ventre egessit Animam: Vacuus sic abiit in auras fastus.

☞ *Malus ubi Bonum se simulat, tunc est pessimus.*

VESPASIANVS

Dicax, Inverecundus.

MImica cum jactes dicteria, cum tibi Cæsar
Regnet in obscæno corde proterva Venus.
Quid juvat Imperio Populos frenare rebelles,
Infrenem linguam si cohibere nequis?
Sique verecundum frons exuit ista pudorem,
Quid tibi Sidonio murice palla rubet?
Si Rex esse cupis, Regem te purpura frontis
Arguat, & Regem te tua verba sonent.



VESPASIANVS

Per quietem videt ſe eâdem cum Nerone ſtaterâ librari.

PArs te proſcindit probris, pars laudibus effert,
Grandique exequitur pars tua facta ſtylo.
Sed litem dirimit Numen, cum Cæſar, eâdem
Te vnà cum ſævo lance Nerone librat.
Par onus, examenque fero te æquale tyranno
Iam facit omnino, Veſpaſiane, parem.



VESPASIANVS

Libertam ſuffecit Thoro.


EFfertur Conjux clara de ſtirpe parentum,
Gaudet Libertam ſubſtituiſſe thoro.
Hac fruere, has ſodes ſordes ampleƈtere, a vitæ,
Atque tuæ ſordis ſic memor eſſe potes.

VESPASIANVS

Vaticinium ſuae mortis promit.

CVm te tentaret, Cæſar, violentia morbi,
Inquis vaticinans, ut puto, fio Deus.
Nulla ſed aſtra dabit, nullũ tibi Iuppiter axẽ;
Te ſcurram ſpernet cætera turba Deûm.
Sed cupidum, ditemq; auri, te Pluto ſodalem
Excipiet ſolio (Veſpaſiane) ſuo.

TITVS VESPASIANVS.



ÆReat Calamus Publico odio patens, Publicâ si gratiâ potentem pungat. Audeat imò Calamus justam satyram protrahere: mergatur Lethe si mendax. Sordidis, exiguisque Laribus TITVS nascitur. Siguidus ominosum, Caligulâ occidente ortum. Per rimam in Imperium irrepsit: tenuis omninò erat. Vafer, non Integer, propesum in vitia genium coercuit: adesse sceleri supplicium animadverterat. Britannici subiit Sortem, non Mortem; debitum Illi Imperium nactus, non necem: suffragantibus Astris, servavit se cautiùs solio: occultâ stravit fraude quos oderat, excidio vt Civium firmaret sedem; æquitate in cassum reclamante. Aulo Cecinnæ Aulicam Cœnam exhibuit: (Postremam) vocavit, vt cæderet

deret: Roma sic Lycaonem vidit. Alienæ scripta fallaci stylo æmulari, suspiciendæ duxit Virtutis loco: seriò nugax ineptam jactavit industriam: quod deteriùs peritiem impiam. Superfœtantem aurum, auro effœtam Naturam credidit, sibi numquam facientem satis. A Patre defecisse creditus, perduellis fit, Diademate Ægyptio. Rediens, adire se Patrem jussit, Ipsum, qui adire debuit: particeps non tantùm, sed tutor Imperii, Collega, non Filius. Quid mirum? Nero alter vocatus est; Erat. Exoletorum abusu præ illo Infamis. Fratri Iniquus, sæpius læsum ad Fratricidium impulit: verbis mitis, re sævus: aliud ajebat, aliud agebat. Vnum sibi pœnitendum fassus, meritò: semel peccaverat, semel quod vixerat; Vita, stadium peccandi fuit. Propiùs incumbens Fatum, conatus est flectere lachrymis, flentem illud risit,

reſecans ſtamen. Invitus, non invictus moriens, bis periit.

☞ *Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.*



TI-

TITVS

Britannici nece prælibata superstes.

P*Rælibasse ferunt illæsum toxica, fratri*
Quæ sævus Stygiâ miscuit arte Nero.
Toxica peccastis; Pueri malè parcitis annis;
Sacrilegum feret hunc, Roma coacta Virum.

TITVS

Alienorum Codicum æmulator.

S*Æpè tibi calamo chartas animare loquaces*
Maximus Ingenii Tite triumphus erat,
Reddereque ex scriptis aliena volumina formis
Credideras magnum Cæsaris esse decus.
Vade Palæstinos gladio describe triumphos,
Barbara sanguineis corpora cæde notis.
Scripta tibi hæc fastis cælestibus astra notabũt,
Hos libros Populis Fama diserta leget.

TITVS

Abuſu exoletorum Infamis.

IN Venerem infamis (procul hinc diſcedite caſti)
Hircus ſcorta ſibi maſcula jungit amans.
O ſcelus! hæc tolerat Roma! exclamate Quirites:
At, quòd ſpes omnis Prolis adempta, ſilent.

TITVS

Vnum ſibi tantùm pœnitendum dixit, moriens.

SCilicet innocuus; tantùm te crimine damnas
Vno? multa tamen cum tibi noxa foret?
Infandæ Veneres, patinæ, cædes, Berenices,
Vnius eſt Cæſar criminis eſſe reum?
At benè dumtaxat ſceleri, Tite, ingemis Vni,
Vnum tota fuit nam tua vita ſcelus.

FLA-

FLAVIVS DOMITIANVS.



COnſentaneā ſibi Adoleſcentiam exegit, vilem, inopē, deſidem; prolixô tantùm Vitiorum Syrmate notam. Athleta Veneris fœdô, emarcuit otio. Neroni promiſit noctes; ſtetit fidejuſſor Chyrographum, flagitio ne deeſſet cum fide Infamia. Nervæ quoque ſucceſſuro noctibus notus. Malus Cōſul, redditus Imperio Peſſimus; Quod vt arriperet, Fratrem ſuſtulit. Veneficio repetiit, quod Patri, quod Fratri dediſſe ſe, jactaverat coram Patribus. Clementem interemit Patruum: Inclemens, Clementem oderat. Viris Vxores invidit, nequiſſimam aſſumpſit ſibi, cui præ Cæſare Hiſtrio. Impudenter Hæc admiſſa, pudenter dimiſſa. Militum decurias veritus, Muſcarum Myriades perdidit; Ludis aſſuetus, non prœliis, ſpectaculis, non

triumphis. Non timeri Civibus, non amari didicit. Parente genitus auripetâ, ſanguinem auro prætulit. Voluptate immani cædum, humanitatem ejuravit. Miſcuit amplexibus neces, Iræ pariter, ac Libidinis impotens. DEVM, DOMINVM appellari ſe paſſus, quod deterius eſt, faſſus. Aureis tantum voluit effingi ſignis? inſigne ipſis, extra materiem nihil. Quam immerito induit purpuram, exuit meritò. Brevi ceſſit Imperio: imo ſerò, impiè quod geſſerat; Cadit ſuffoſsô altius inguine, quo immaniùs peccaverat, Veſtalium quoque pollutor. Mitior moriens redditur; a Percuſſore Oculũ repoſcit pro Vita. Fœdaverat Palatium Clypeis, non illuſtraverat; detraxerê cum Imaginibus Patres, his vt confractis, attritis illis, periret Imperii Pudor.

☞ *Suũ cuiq; Decus Poſteritas rependit.*

DO-

DOMITIANVS

Occidit muscas.

AVdierat ſtratos Elephantos Marte Latinos,
Roma ubi cum Pirrho prælia dira gerit.
Arma rapit, Veterum cupiens æquare triumphos,
Vicit iò, Muſcæ ſed ſibi Barrus erant.



DOMITIANVS
Pejor Imperio redditus.

SCādit in Imperiū, ſcelerū de fæce Tyrannus
Impunè ut miſero regnet in Orbe ſcelus.
Sævities ſtat fulta throno, trabeata Libido
Eminet, exercet regia ſceptra Furor.
Dum rubeā indutus Romano ſanguine Pallam
Stragibus innumeris Domitianus ovat,
Heu tua lethiferū vibraſti in viſcera ferrum,
Cum ſceptrum monſtro, Roma cruēta, dares.

DOMITIANVS
Polluit Veſtalem.

SAcra Deæ Veſtæ nulli fas tangere, nulli
Cernere, Romanis vana ſuperſtitio.
Hanc ridet Veſtam in myſtis, tangitq; videtq;
Sacra illi Veſtæ, ſed ſine veſte placent.

DO-

DOMITIANVS

Phengite lapide diſtinguit Muros.

COnſcia mens ſcelerum, Cæſar, tua cuncta tremiſcit,
Atque ſibi metuens æſtuat, alget, hebet.
Quin etiam vanæ terret te ſibilus auræ,
Sollicitaque auget Muſca vel Ipſa metum.
Quo poſtica tibi pateat fraus, phengite muros
Sepis, ſed major naſcitur inde timor.
Marmora tolle; metum tolles quoq́; : major ab hoſte
Non timor eſſe tuo quàm truci ab ore poteſt.

CÆSARVM PRISCORVM

FINIS.

SVPREMA CÆSARVM FATA.

IVLIVS.

Libertas Romana perit Te Principe, CÆSAR;
Hinc Libertati victima grata cadis.

AVGVSTVS.

Conjugis insidiis moreris: quid sidera culpas?
Non poteras dextrâ nobiliore mori.

TIBERIVS.

Quo fugis? effugies suspendia debita nunquam;
Nam cum Fata volent, stragula restis erunt.

CALIGVLA.

Plectendum uno ictu mortalibus omnibus unum
Collum optans, uno haud vulnere strate jaces.

CLAVDIVS.

Vixisti Fungus, desisti vivere Fungo,
Messuit & Fungum Mors rata falce caput.

NERO.

Ipse sibi tortor trajecit viscera ferro,
Nullum nobilius dextra peregit opus.

GALBA.

QVòd grandævus obis violentâ Morte peremptus,
Insequitur claudo crimina pœna gradu.

OTHO.

MOrte senis quid sceptra rapis, quid Fata lacessis?
Dum Tibi sceptra paras, & Tibi Fata paris

VITELIVS.

QVid mirum madefacta tuo quòd sanguine Roma,
Romani Imperij qui fueras Vitulus?

VESPASIANVS.


QVem latuit quantum os, turpi distaret ab anò,
Huic obeuntis oris munus, & anus obit.

TITVS.

ABfuerit Ferrum, grassetur nemo Veneno,
Si nolens moreris, Mors violenta tibi.

DOMITIANVS.

INguina fœda tibi rigidus transverberat ensis,
Per quæ peccasti membra, per illa peris.



MAN-

MANTISSA AD CAESARES.

VAcuæ ne perirent pagellæ, CANES CÆSARIBVS superaddere visum est. In sepulchrales excubias? Absit: impurissimis potiùs vt Horum oblatrent Manibus. VERITATI Pia tandem SATYRA litet. Quid nî? THESAVRVM Laudum mitiore Fato invenere? conniuente indulgentiùs Orbe. Inesse haud poterat Virtus, quibus Religio Virtutum Mater, & Alumna deerat. *Procul ab immeritis Gloria: solidæ tantùm Pietati Fama præfulgeat.*

LIN-

LINDORIDIS CATELLÆ EPITAPHIUM.



OBii LINDORIS, Canum decus. Desilientem Thoro Mors occupavit, Terræ adflixit, Momentô solvit. Artis dotibus cumulatam, vt perimeret, Mortem exoravit Natura: Ingenium Hæc Mihi supra Genus inviderat. Casus quoque Iniquum Facinus Iuvit: Caput allisit solo, non Latus. Sæva sibi tamen Parca ne placeat: læta perii, Heri quæ inter vlnas expiravi. Suffecit Ejus osculis evanescens Animula, Postremum notandis Lachrymis Lumen. His madens Elysia subii; Canes Heroinæ Principem salutarunt: Innuba decessi; Phœnix nam cuique sæculo Vnica. Cinnama, Balsama Valete. Feliciori dabit Herus, eni-

xiùs Amanti, Nunquam. Valete Charites, Veneres, Cupidines CANVM; Abeuntis imò convolate Pediſſequæ. Virgines, Me tam blandè, tam ſollicitè Quæ aluiſtis, Bellaria Tumulo, Date Funeri Flores: Roſæ procul, Lilia malo: Dianam ſecuta, non Venerem. Speciei Amor prurire juſſit, At vicit Pudor Vteri Æſtuantis Illecebras: Abegi morſiunculis Atîdes, Adonides Canum. EXIGVO CINERI INGENS HAVD ABERIT GLORIA; Impenſiùs Qui Luſitantem amavit, Amiſſam Impatientiùs lugens, Seris Temporibus commendabit. Me Dignam Seculis abſtulit Dies Nefaſtus. XIII. Auguſti, CIƆ IƆ C XXXV.

Au-

Aureâ Claudor Arculâ

CYNA.

Melitensium Catellarum Facilè Minima.
Venere Agitatam Grandior Longè Canis
Arripuit
Aversanti Ingentem Molem
Imprudens Commendavit Natura
Exiguus At Vterus
Proli Impar Titaniæ Fuit
Felix Gestationis Labor
Ignaræ Impendentis Necis
Trux Pariture Lucina adstitit
Vitam Mihi
Lucem Nascituris Invîdit
Arctam Heù Nunquam Laxavit Manum.
P E R I I
Pignorum Sepulchrum Non Mater
Enixa Spiritum Non Fœtum.

FINIS.

§ Aluise Morosini Pod.

HOs Cæsares, nec non Epigrammata diligenti recognitione perpendi; nihilque in eis Catholicis dogmatibus dissonum, integritati vè morum alienum offendi. Prælo igitur, & Aeternitate (quam præclarissimo Auctori augurari fert animus) opus dignissimum iudico.

Ita Ego Fr. Iulius Baptista Baldellus Sacræ Theologiæ Magister, de mandato Adm. Reu. Patris Inquis: Veronæ.

Imprimatur 24 Ianuarij 1641.

Fr. Petrus Maria Dulcetus Ord. Pred. Sacræ Theologiæ Magister Inquisitor Generalis Veronæ.